

et superincumbens cum puppis parte revolsa
 cumque gubernaculo liquidas proiecit in undas
 praecipitem ac socios nequiquam voce vocantem; 860
 ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras.
 currit iter tutum non setius aequore classis
 promissisque patris Neptuni interrita fertur.
 iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat
 difficilis quondam multorumque ossibus albos; 865
 tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant,
 cum pater amisso fluitantem errare magistro
 sensit et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
 multa gemens casuque animum concussus amici:
 'o nimium caelo et pelago confise sereno, 870
 nudus in ignota, Palinure, iacebis harena.'

LIBER SEXTUS

Sic fatur lacrimans classique inmittit habenas,
 et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.

Obvertunt pelago proras, tum dente tenaci
 ancora fundabat navis, et litora curvae
 praetexunt puppes. iuvenum manus emicat ardens 5
 litus in Hesperium, quaerit pars semina flammae
 abstrusa in venis silicis, pars densa ferarum
 tecta rapit silvas, inventaque flumina monstrat.
 at pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
 praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae 10
 antrum inmane petit, magnam cui mentem animumque
 Delius inspirat vates aperitque futura.
 iam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.

Daedalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna,
 praepetibus pennis ausus se credere caelo, 15
 insuetum per iter gelidas enavit ad arctos
 Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
 redditus his primum terris, tibi Phoebe, sacravit
 remigium alarum posuitque inmania templa.
 in foribus letum Androgeo, tum pendere poenas 20